

Tribus VIII. CICHORACEAE Vaill.

Subtribus IV. HYPOCHAERIDEAE Less.

HYPOCHAERIS Linn. DC. Endl. gen. n. 2985.
 Meisn. gen. pag. 233. (143.) DC. prodr. T. 7.
 Sect. I. pag. 90. n. 792.

1. **Hypochaeris glabra** Linn. foliis radicalibus lanceolato-oblongis runcinatis aut sinuato-dentatis glabris aut hirtis, scapis glabris nudis ramosis simplicibusve, involucris glabris, achaeniis radii suberostribus, disci longe rostratis, pappo biseriali. DC. l. c. n. 2. Flor. danica tab. 424.

In arenosis terrae inferioris ad fluvium Cygnorum. Herb. Preiss. No. 119.

Specimina a planta Germanica nullo modo recedunt, quare forsitan non indigena, sed introducta sunt. *Scapi* subsimplices vel parce ramosi, 6-8-pollicares. *Folia* runcinata, 2-pollicaria, glabra *).

Subtribus VI. SCORZONEREAE Less.

PICRIS Linn. Juss. Endl. gen. n. 2999. Meisn. gen. pag. 235. (144.) DC. prodr. T. 7. Sect. I. pag. 128. n. 816.

Sect. 1. EUPICRIS DC.

1. **Picris squarrosa** Steetz. strigosa, caule erecto apice in corymbum oligocephalum terminato, foliis alternis lanceolatis subintegris, inferioribus in petiolum basi dilatatum semiamplexicaulem attenuatis, superioribus sessilibus, summis remotis minimis, pedicellis monocephalis, involucris 3-4-serialis squamis exterioribus squarrosis apice recurvis in pedicellum descendentes, achaeniis badiis breviter rostratis transverse rugulosis, pappo omnium plumoso.

In solo limoso districtus Vasse et Murray, d. 8. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 108 (ex parte).

Species corymbo abbreviato et involucris 3-4-serialis squamis exterioribus squarrosis, jam prima fronte optime distincta. *Radix* palaris, simplex.

*) *Cynoseris* Endlicher in Bot. Zeitung 1. Jahrgang (1843) 27. Stück pag. 453 et 459, genus ab *Hypochaeride* non satis diversum mihi videtur. *Corollae* tubus apice pilorum corona cinctus etiam in nostris *Hypochaeridis* speciebus observatur, et *capitula* homocarpa, *achaeniis* omnibus rostratis in *Hyp. Balbisii* et *radicata* occurrunt. Si vero propter hunc characterem genus conservare velis, tunc etiam utraque species modo memorata in idem genus caderet.

Caulis crassus, erectus, teres, striatus, 2-3-pedalis, et ut tota planta pilis, ut plurimum apice glochidiato-bifidis, strigosus, inferne foliatus, superne nudiusculus. *Folia* alterna, lanceolata, acuta, integerrima, vel dente uno alterove levissimo, remoto hinc inde instructa, *inferiora* elongata, 3-4-pollicaria, 3-6 lin. lata, in petiolum basi dilatatum, semiamplexicaulem attenuata, *superiora* sensim breviora et angustiora, sessilia, basi semiamplexicaulia, *summa* 3-6 lin. longa, ovata, remota. *Pedunculi* 1-6, monocephali, subangulati, abbreviati, 1-2-pollicares, alii toti nudi, alii foliis squamaeformibus dense vestiti. *Capitula* multiflora, circiter semipollicaria. *Involucris* 3-4-serialis *squamae* foliaceae, lineares, acutae, scabriusculae, 4-5 lin. longae, *exteriores* breviores, laxae, squarrosae, apice recurvae, in pedunculum descendentes. *Receptaculum* nudum, levissime tuberculatum. *Corollae* numerosae, caeterum ut in *Picr. hieracioide*, sed apice profundius incisae. *Achaenia* cylindrica, apice brevissime attenuato-rostrata, plerumque leviter curvata, sulcata, transverse rugosa, badia, 2-2 $\frac{1}{4}$ lin. longa. *Pappus* duplex, *setae* utriusque seriei subinaequales, *interiores* numerosae, crassiusculae, dense plumosae, pinnulis tenuissimis, 3 lin. circiter longae, *exteriores* multo rariores brevioresque, denticulatae.

Obs. Specimina omnia fere deflorata, fructifera sunt.

Subtribus VII. LACTUCEAE Less.

SONCHUS Linn. Cassini. Endl. gen. n. 3003.
Meisn. gen. pag. 237. (145.) DC. prodr. T. 7.
Sect. I. pag. 184. n. 840.

1. **Sonchus oleraceus** Linn. caule erecto glabro aut rarius ad apicem piloso-glanduloso ramoso, foliis caulinis amplexicaulibus argute dentato-ciliatis runcinatis aut indivisis, auriculis acuminatis, involucris pedicellisque glabriusculis, achaeniis secus nervulos transverse muriculato-rugosis.

Sonchus oleraceus Linn. var. α et β sp. 1116. Oed. flor. dan. tab. 682.

Sonchus ciliatus Lam. flor. franç. 2. pag. 87. DC. l. c. pag. 185. n. 6.

Sonchus laevis Vill. Delph. 3. pag. 158.

In arenosis prope oppidulum Freemantle, d. 9. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 117.

Specimina omnia tota glaberrima sunt. *Folia* glaucescentia, runcinato-pinnatifida, *pinnis* inaequaliter et acute dentatis, subspinulosis. Caeterum a speciminibus Europaeis non differunt.

2. **Sonchus asper** Vill. caule erecto glabro aut rarius ad apicem piloso-glanduloso ramoso, foliis amplexicaulibus argute elongato-dentatis runcinatis aut indivisis, auriculis rotundatis, pedunculis involucrisque basi subhispidulis glabrisve, achaeniis laevibus utrinque trinervulatis.

Sonchus asper Vill. Delph. 3. pag. 158. flor. dan. tab. 893.